23

DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE

SIGNIS PUERPERII FALLACIBUS.

QVAM
JUVANTE DEO,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
JOANNE CAROLO
LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIÆ,
COMITE VELDENTIÆ ET SPONHEMII rel. rel.
LOCUM INTER MEDICINÆ PROFESSORES EXTRAORDINARIUM
LEGITIME CAPTURUS

LUDOVICUS RODOLPHUS
SEUBERT,
MED. LIC. EJUSDEMQUE PROF. EXTRAORDINARIUS,

PUBLICÆ ERUDITORUM EPICRISI EXPONIT,
RESPONDENTE
FRANCISCO CHRISTIANO LUDOVICO FROMMANN,
Gœpping.
Ad Diem April. MDCCLVIII. H. L. Q. C.

TUBINGÆ, TYPIS BAUHOF-ET FRANCKIANIS.

§. I.

MAgna ſane in foro medico movetur quæſtio, an dentur certa & infallibilia ſigna, quibus ſemper omnique tempore prægreſſum dijudicari ſufficienter poſſit puerperium. Quam difficilem omnino eſſe atque lubricam, ſummaque indigere decidendi circumſpectione, quisque novit in arte peritus.

§. II.

Eadem autem omnia admodum eſſe fallacia, junctis jam animi viribus ſolide demonſtrabo, atque in ſubſequentibus probare tentabo.

§. III.

Duplici modo conſiderandus obvenit fœtus. Aut enim ſuppoſitus ille eſt, & a matrona nunquam gravida ſive lucri, ſive futuræ ſucceſſionis, ſive alia quacunque cauſa pro legitima

ſui ventris prole fraudulenter exclamatur. Aut actu ab eadem excluſus eſt, ſed ob evitandum e. gr. ſcandalum &c. pro genuino ſui fructu minime agnoſcitur, ſive celatur.

§. IV.

Priorem caſum (§. III.) allegatum propter temporis inſtitutique rationem hic exponere nequeo, quippe peculiari disquiſitione digniſſimum. Alterum contra placido jamjam ſubmiſſurus ſum ſcrutinio.

§. V.

Quænam ſunt itaque iſta ſigna, editum partum declarantia? Diverſa omnino tempora ſolicite ſunt obſervanda, ubi diverſa pariter occurrunt ſigna. Aliud enim eſt temporis ſtadium, paulo poſt enixum ingruens partum; Aliud iterum, quod priori remotius eſt, neque niſi poſt primam ſeptimanam & ultra exiſtit; Aliud denique poſt longa demum temporis intervalla contingit.

§. VI.

Primum quod concernit temporis ſtadium, (§. V.) poſt præſumptam ſtatim partus excluſionem irruens, multa ibidem proſtant ſigna, quæ junctim ſumpta cæteroquin ſumme probabiliter partum recenter celebratum indicare videntur. Qualia eaque potiſſima ſunt: copioſior lactis proventus; uterus ſanguinem ſubnigrum, muco immixtum, eumque grumoſum effundens, fœtorem denique exſpirans; ejusque pariter vagina nimis dilatata, atque orificium planum nec clauſum; pudendorum intumeſcentia; abdominis cutis flaccida, rugoſa, gracilis, ventre tumido ante viſo; quibus adde ruptum primiparis ligamentum naviculare, *frenulum* dictum. (a)

§. VII.

a) Conf. JO. ERN. HEBENSTREIT *anthropol. forenſ. Sect. II. Membr. II. Cap. II. artic. II. de læſion. mort. cauſ. §. XVI.*



§. VII.

In ſecundo ſtadio, quod paulo ab enixo partu remotius eſſe dixi, (§. V.) quædam perinde conſideranda ſunt ſigna, quæ de puerperio teſtari poſſent, ſed neque amplius prioribus conſpicua, neque tot eorundem coincidunt. Ceſſat nimirum tumor pudendorum; larga uteri cruentatio; ejusdemque oſtium reperitur fere clauſum, acuminatum iterum atque duriuſculum. Vagina quoque rurſum coarctata, & ad ſtatum redacta priſtinum. Cutis pariter abdominis prius flaccida, multisque referta rugis atque plicis in ſtatum reſtituta eſt naturalem. Quare nihil ſupereſt, quod matronam ſuſpectam redarguere poſſet, niſi tenue quoddam atque parcum ſanguinis ſtillicidium, ſenſim ſenſimque ſubſequente materia magis mucida, quaſi purulenta, evaneſcens; ligamentum porro, quod dicunt, ſcaphoideum, primiparæ diſruptum, nec non mammæ quandoque ad tactum dolentes, lactisque copia turgidæ.

§. VIII.

Hæc ſunt omnia in ſecundo temporis puncto conſpicua partus indicia (§. VII.) Jam videamus, quoad tertium temporis momentum, qualia occurrant puerperii olim celebrati indicia. Pauciſſima profecto eadem ſunt, ex quibus matrona partus accuſari ſuſpectaque eſſe poſſit. Omnes enim generationi dicatæ partes in integrum fere reſtitutæ ſunt, atque præter ſtriarum albarum in regione hypogaſtrica, inguinali,

HERMANN. FRID. TEICHMEYER *Inſtitut. medico - legal. vel forenſ. Cap. X. de abortu. Qu. II.*

D. MICH. ALBERTI *Syſtema jurisprud. med. c. præf.* CHRIST. THOMAS. *Vol. I. P. prior C. VII. De partu legitimo & illegitimo. §. VII.*

PINÆUS *de notis virginum. L. I. cap. VII.*

PAUL. ZACCHIÆ *Quæſtionum medico - legal. opus abſolut. L. III. T. II. Q. IX.*

Conſt. Cr. Car. V. art. XXXV.

  

guinali, ſuperisque atque interioribus femoris partibus meras cicatrices referentium præſentiam, atque ligamenti ſæpius nominati (§. VI. VII.) navicularis defectum nihil invenies. An observatio Embryulcorum quorumdam, contacto orificio uteri non fiſſuras ibidem detegentium; quarum ſingulas cuique partui prægreſſo tribuunt, ullam meretur attentionem? Vana profecto mihi videtur conjectura, nihilque certi exinde colligi licet.

§. IX.

Ex præmiſſis itaque patet, (§. VI - VIII.) juxta diverſa temporum momenta diverſa pariter deſumenda eſſe indicia, quibus ſuſpecta puerperii argui poſſet. Sed ad majorem defendendæ meæ de eorundem fallacia atque demonſtrandæ ſententiæ dilucidationem operæ pretium duxi, ſingula puncta ſolicite prius conſiderare, quam fallaces deinde ex iisdem junctim comprehenſis deducendas celebrati nuper partus indagines e ſolidis, ut putem, explicare rationibus.

§. X.

Primum, quod (§. VI.) allegavi, ſignum, copioſior dicitur lactis proventus. Quid vero iſte in expiſcando probet puerperio, lippis fere ac tonſoribus notum eſt, vixque meretur ullum ſcrutinium, cum nullum unquam magis doloſum, nullumque magis anceps occurrat indicium. Nam neque gravidæ, neque fœtus pondere liberatæ ſolum, ſed nec ita rariſſime tam virgines, aliæque non gravidæ mulierculæ, (*a*) quam nobilior ſexus, (*b*) quid? infantes largiori quandoque gaudent lactis effluvio. (*c*) THEODORUS CRAA-

(*a*) Conf. CONST. CR. *Car. V. Art. XXXVI.* GALEN. *L. V. Aphor.* HIPP. *XXXIX.*

(*b*) Ariſtotel. *L. I. de animal. gener. C. XII.*

(*c*) vid. CASP. BARTHOLIN. *inſtit. anat. L. II. de thorace.*

CRAANEN (*d*) infantis meminit trium menſium, lac ex mammis fundentis. JOAN. RHODIUS (*e*) de puella recenſet octo dierum, cui lac ex mammis exprimi poterat. GREGOR. HORSTIUS *f*) Baronem quemdam vidit, carnoſum corpulentumque, qui pro lubitu lac ex mammis exprimebat. THOM. BARTHOLINUS (*g*) e viro tantum lactis emulctum vidit, ut caſeus inde ſit confectus. CASPAR REJESIUS (*h*) de patre quodam refert, qui proprios filios uberibus ſuis abundanter lactavit. Exemplum fœminæ quinquagenariæ, quæ absque conceptione lac effudit; narrat LOYS. BOURGEOIS. (*i*) Aliam refert hiſtoriam HENRICUS AB HEER (*l*) de muliere, quæ aridis ab undecim annis mammillis infantem lactavit, copioſa ſuperveniente lactis copia. Virginum lactantium exempla recenſent SCHENCKIUS; (*m*) RODERICUS A CASTRO; (*n*) KORNMANN; (*o*) THOM. BARTHOLINUS; (*p*) Et quæ ſunt reliqua ab Auctoribus ſumma fide digniſſimis prolata in EPHEMER. GERM. CURIOS. (*q*)

§. XI.

Jam fluxus ſequitur uteri cruentus, (§. VI.) qui ſi nimia copia, grumorum pariter ad inſtar, tandemque cum aliquo

(*d*) Tractatus Phyſico-Med. *de homine. Cap. CLXV.*

(*e*) *Cent. II. obſ. med. XXXVII.*

(*f*) *L. I. de corp. hum. Exercit. VII, qu. VIII.*

(*g*) Anat. reform. *L. II. C. I. p. 215.*

(*h*) Camp. Elyſ. *quæſt. med. q. XLVII.*

(*i*) *De obſtetric. off. P. I. C. I.*

(*l*) *obſ. XIV.*

(*m*) *Obſerv. med. L. II. Tit. de mammillis.*

(*n*) *L. IV. Medic. polit. C. XII.*

(*o*) *de virgin. C. IX.*

(*p*) *Hiſt. anat. rar. C. I.*

(*q*) *Ann. II. obſ. CXXXV.*

quo erumpit fœtore, atque ſtillicidio aliquali terminatur purulento, ab Auctoribus pro momentoſo allegatur puerperii ante celebrati indicio. Quod vero maximis profecto dubiorum nebulis, contra omnem decidendi ſecuritatem militantibus obſcurari, non ſaniori modo facile reſpondet ratiocinio, ſed plura quoque ex quotidianis obſervationibus depromi poſſunt hiſtoriarum exempla. Nam optime licet moneant, ne lochiorum fluxus cum menſtruo confundatur ſanguine, facillime tamen commiſcentur diverſa hæc cæteroquin cruoris effluvia, ſiquidem non paucæ dantur virgines pariter ac mulieres, ſatis larga profundentes catamenia. (*a*) Præcipue quæ mollioris, ſpongioſioris diſpoſitionis, plenique ſucci ſunt, atque vitam degunt otioſam, ſedentariam. (*b*) Neque rara ſunt menſtruantium exempla, quibus ſub largiori tali ſanguinis fluxu fruſta fragmentaque coagulati procidunt cruoris, cujus phœnomeni rationem apprime decidit GEORG. ERN. STHALIUS. (*c*) Virginibus porro atque mulieribus menſes plus minusve temporis retenti magno quandoque erumpere ſolent impetu, atque enormi ab initio ſanguinis profuſione fruſtillatimque diu ſatis ſtillant. Cujus veritatem exemplum inſtar omnium luculenter illuſtrat in MICH. ALBERTI *Syſtem. jurisprud. med.* proſtans, (*d*) ubi de puerperii falſa ſuſpicione ſermo eſt. Quippe quod eo magis contingit, quo vehementiores præmiſſi continuantur emmenagogo-

(*a*) PETER DIONIS, von Erzeugung und Geburth der Menschen. I. Buch. V. Cap.

THEOPH. BONNETI *Medic. Septentr. P. alter. L. IV. Sect. II. obſ. XV.*

(*b*) HERMANN. BOERHAVE *Inſtit. med. de menſtruis. §. 667.*

(*c*) *Theor. Med. ver. Sect. II. P. III. Memb. V. de menſium vitiis.*

(*d*) *Part. poſter. Caſ. XV. & Epicriſ.* Caſus pariter admodum intricatus XVI. in MICH. BERNH. VALENTINI *Pandect. Medico-Forenſ. P. I.* recenſitus omnino huc referri meretur, è quo nimirum luculenter elucеſcit, non admodum facile eſſe, lochia à menſium fluxu ita diſcernere, ut ne multum ſuperſit dubii.

gogorum usus. (*e*) Quo minus itaque foetor aliqualis hisce grumis sanguineis in utero plus minus retentis conjunctus sit, quid obstat? (*f*) Præsertim quando haud sanioris sunt mulieres virginesve corporis habitus. Præsente enim morbida corporis impuris succis repleti constitutione nimis foetidas quandoque tempore menstrui spargi exhalationes, solide decidit *Respons. Facult. med. Hal.* sodann kan auch bey Weibespersohnen, welche *impuros humores* haben, destomehr aber, wann eine kränckliche *Dispositon* da ist, eine *foetida purgatio menstrua* erfolgen, ohne daß eine *Impraegnation* geschehen seyn müßte. (*g*) Qua ratione pariter purulentus effluxus non nisi satis modicus post lochiorum terminum conspicuus facillime cum fluore confundi potest albo benigno, malignove, quippe qui ita intime quandoque inter se conveniunt, ut præ similitudine improvidus illico committi possit error. Quare cautelæ ab HERM. FRID. TEICHMEYERO pro distinguendis lochiorum a mensium fluxibus in medium prolatæ notabilem revera adhuc patiuntur latitudinem. (*h*)

§. XII.

Hæc de uteri cruentatione. Jam ad aliud progrediar puerperii signum, quod ab uteri vagina petitur nimis dilatata. Sed nec hoc omni fallacia expers esse, ex sequentibus edocebitur. Nam præter id, quod mulierum genitalia juxta laxiorem corporis dispositionem humidumque temperamentum per se non admodum constricta sunt atque coarctata, facillime qualescunque evenire possunt casus, quibus ad majorem extenduntur amplitudinem, unde improvidis via ad innumeros errores sternitur uberrima. Siquidem partes istæ

(*e*) GEORG. ERN. STAHL. *l. c.*
(*f*) REGNER. de GRAAFF *Oper. omn. de mulier. org. c. 18.*
(*g*) Vid. ALBERT. *l. c. Cas. XIII.*
(*h*) *Instit. Med. forens. C. X. Qu. II. p. 67.*



generationi dicatæ ſive morbis vel totius corporis vel non niſi harum partium prægreſſis, ſive præſentibus adhuc, ut: cachexia, cacochymia &c. fluoribus uterinis, albo &c. ſive adhibito ſæpius balneorum uſu, (*a*) ad majorem diriguntur diſtenſionem. Quibus accedunt, ut quandoque fieri poterit, laſcivæ harum partium frictiones, quibus mucoſi e lacunis intra extraque uteri vaginam reperiundis promanantes humores (*b*) ad majorem ſemper invitantur effluxum, neque ſecus ac arte facta iſta ad ſalaciores pruritus excitandos adplicita inſtrumenta, (*c*) laxiorem vaginæ canalem nimis quantum dilatant. Quippe quod eo magis fieri ſolenne eſt, quo auctiores deſuper eminent menſium fluxus, easdem partes per ſe laxiores lubricando humectandoque relaxantes.

§. XIII.

Modo dicta vero (§. XII.) non ad primum alterumve reſtringenda ſunt puerperii diem, quippe efficiendis tantis vaginæ dilatationibus minime ſufficientia, quantæ nimirum ab ejusdem initio ob magnam tranſeuntis fœtus molem contingunt. Sed remotioribus paulo ab enixo partu temporibus, quartum nempe, quintum, ſextumve diem egregie adplicanda erunt. Dantur interdum caſus ſatis intricati, ubi uteri vagina ſuperveniente præſertim menſtrui fluxu ita reperitur dilatata, ut juſta improvidis videri poſſit puerperii vix celebrati ſuſpicio, licet illud nunquam fuerit prægreſſum. Famoſum enim ſupponamus proſtibulum, quod crebrioribus ſemper indulſit ſcortationibus, cujus exinde repetitis irritationibus atque frictionibus relaxantur, copioſorumque humorum

(*a*) MICH. ALBERTI *L. c. P. prior. C. III. §. IV. de virginitate integra & læſa.*
ibid. *Caſ. IV. & Epicris.*

(*b*) REGNER. de GRAAFF. *l. c. C. IV. de nymphis.*

(*c*) Ibid.
RIOLANUS *in anatom. C. XXXV.*

morum affluxu humectantur genitalia. Anne præsente præsertim largiore sanguinis menstrui quantitate & persistente aliquantisper illæ satis lubricæ prius atque explicitæ pudendorum partes ita exinde emolliuntur, ut absque ullo distendi possint renisu? Rationi æque conforme, ac ipsa exploratum est experientia. Idem pariter de honestissimæ notæ mulieribus eo securius dicendum est, quo copiosior eminet sanguinis uterini profusio.

§. XIV.

Neque frivola porro contra ventris flacciditatem atque rugositatem (§. VI.) jure moveri possunt dubia, colligendam exinde puerperii prægressi certitudinem plane, ut mihi videtur, destruentia. Quemadmodum enim a fœtu ergastulum maternum adhucdum occupante, sensim sensimque ad majorem excrescente magnitudinem magis plerumque atque magis augeri abdominis extensionem per se satis compertum est; ita pariter ab innumeris quibuscunque morbis, v. gr. fluore mensium retento, indeque collecto intra matricis substantiam sanguine, ejusdemque sive ovariorum statu hydropico, occlusis porro ibidem flatibus, colica, abdominisque tumoribus a qualicunque causa subortis &c. (*a*) intumescit

 quando-

(*a*) Conf. THEOPH. BONNET. *Med Sept. P. alter. Lib. IV. de mulier. affect. Sect. V. ac concept. ver. & fals. obs. XVIII. XIX. XX. XXI. XXIII. XXIV.*

THOM. REINES. *Schol. Jureconsult. med. L. III. Sect. IV. de cognoscend. ingravid. C. I.*

JO. ERN. HEBENSTREIT. *L. c. Sect. I. c. l. de cur. nascitur. & nascent. p. 21.*

Idem *Sect. II. C. I. De privileg. uter.*

HERMANN FRID. TEICHMEYER. *l. c.*

MICH. ALBERTI *l. c. P. poster. epicris. in cas. XV.*

RODERIC. à CASTRO *de morbis mulier. P. II. Lib. III. Cap. VIII. de falsa gravidatione.*

PETER DIONIS. l. c. zweytes Buch 1. Cap.



quandoque venter, ut nisi solicite pensitentur vera graviditatis signa, nimis præcipitanter in falsam vocari possint minus gravidæ suspicionem. Quare evanescente alterutra tumoris causa expansa cito detumescere hypogastria, atque eandem relinquere, quam fœtus, cutis flacciditatem, extra omnem dubii aleam positum est. Quodnam porro puerperii clanculum celebrati deducitur exinde signum, quando a legitimis olim partubus suspectæ relictum novimus abdomen pendulum? Sic quoque ex altera parte ventrem tumentem subligaculis fasciisque ita scite sustinere atque reprimere possunt mulierculæ graviditatem celantes, ut nulla fere supersit post partum rugositas. Idem pariter ampla pelvi præditis ut plurimum contingit, vel obesioribus fœmellis.

§. XV.

Orificii deinde uterini indicia (§. VI.) iisdem exposita sunt exceptionibus, quæ hucusque de partus signis (§. IX-XIV.) allegatæ prostant. Quantum enim ejusdem concernit planitiem, illa partu vix enixo citissime iterum evanescit, & in naturalem formam successive redigitur matricis osculum. Quare reperto eodem deplanato, sub ipso adhuc puerperii negotio deprehensa mater, delicti corpore ob temporis angustiam nondum celato convincenda erit. Alterum vero pro confirmando puerperio orificii signum ab ejusdem petitur apertura. Sed quanta obrutum illud sit fallacia, paucis sed solidis edisserere conabor rationibus. Osculum nimirum uterinum naturaliter clausum, certis quandoque temporibus, præcipue vero menstrui tempore plus minusve adaperitur. Quodsi catameniorum fluxus parva emanat quantitate, vix sentitur illud aliqualiter relaxatum. Quo majori vero copia urget sanguinis stillicidium, eo amplior requiritur transitus, eoque

FRANCOIS MAURICEAU *traité des malad. de femmes grosses* L. I. *chap.* VI.

MARCELL. DONAT. C. XXV. L. IV. *Hist. med. mirab.*

eoque latiorem dein orificium præbet hiatum. Supponamus ergo immodicum eumque continuatum aliqualiter ſanguinis uterini effluxum, grumis fruſtisque cruoris immixtum; (§. XI.) anne exinde orificii labia ad ſatis amplam pro concedendo ejusdem exitu extenduntur latitudinem? Comprobatur hoc *Facult. Med. Hallens.* teſtimonio ita reſpondentis: auch hat wohl *ex exceſſivo fluxu uterino menſtruo* eine ohngewöhnliche Oeffnung *partium uterinarum* ſich begeben können. (*a*)

§. XVI.

Neque minus genitalium externorum intumeſcentia pro ſigno prægreſſi puerperii, ſed æquivoco ſatis & ſummis ex poſito dubiis ab Auctoribus allegatur. Sed licet equidem illa a quovis partu ob nimiam, quam patiuntur, præcipue in primiparis diſtenſionem intumeſcere quandoque, non negare velim; attamen ab innumeris aliis cauſis eumdem produci poſſe tumorem, certiſſimum eſt. Nam quemadmodum diverſa morborum genera multum hic tribuunt, qualia præcipue ſunt: affectus venerei, nimium fluoris albi, aliusve plus minus acrioris profluvium nimis quantum hic confluentis, partesque genitalium externas ſufflantis: ſic etiam externo quocunque modo, a laſcivis nimirum perfricationibus, titillationibus, equitationibus, nimiisque compreſſionibus &c. illæ partes ita irritantur, ut ne poſſit non aliqualis exinde excitari intumeſcentia, quæ dein cum iſta a partu quodam producta eo facilius confundi poteſt, quo remotioribus à puerperio inſpicitur ſuſpecta, ſiquidem non ſolum ſub promptiori ſive repetito præcipue partu vix notabilem eam eſſe, ſed mox etiam rurſus evaneſcere, compertum eſt.

§. XVII.

Et quid probat denique, quod (§. VI.) allegavi, contra

(*a*) MICH. ALBERTI *l. c. Caſ. XIII.*



tra ſuſpectam diſruptum labiorum frenulum, (a) cum ſtrictiores virginitatis defenſores amiſſum illud ne pro genuino quidem defloratæ virginis ſigno aſſumere permittant? Interdum tamen, quamvis de hoc valde dubitem adhuc, id duntaxat veritati ſemper reſpondet, adeoque haud præcipitanter concluditur, eo præſente nullum unquam prægreſſum fuiſſe puerperium, cum contra ejusdem defectus æque facile a crebrioribus cohabitationibus &c. ac a præmiſſo partu, derivari poſſit. (b)

§. XVIII.

Hæc de ſingulis circa primum puerperii ſtadium concurrentibus potiſſimum differere volui indiciis, ut eo diſtinctius exinde eluceſcat, quam fallacia eadem, (uti ſupra §. II. monui,) in expiſcanda eſſe poſſint puerperii veritate. Jam ad ſecundum partus ſtadium progrediens, (§. VII.) omnia quamvis pauciſſima ibidem conſpicua, quæ contra ſuſpectam teſtari poſſunt, examinabo puncta. Neque enim uterus, neque ejusdem vagina, uti primo poſt partum tempore, reperitur ita dilatata, ut inde ſuſpecta editi partus graviter interrogari poſſet Neque quoddam ab orificio matricis, quippe fere occluſo iterum & accuminato petendum reſtat argumentum. Flacciditas porro abdominis aut prorſus evanuit, aut vix aliqualis reſtat rugoſitas, ad eruendam tamen puerperii veritatem minime ſufficiens. Summatim omnia in primo puerperii ſtadio congruentia puncta præter mammarum lacte repletarum turgiditatem, fluorisque aliqualis uterini ſtillicidium, neque minus frenuli labiorum defectum plane deſunt. Quid vero mammarum intumeſcentia, lactisque ſtillantis major minorve quantitas, quid deinde lochiorum reſiduum, quid denique diſruptum atque relaxatum pudendorum frenulum

(a) Nitidam hujus frenuli delineationem ſiſtit FRANCOIS MAURICEAU *l. c. Lib. I. chap. V. fig. I*

(b) Conf. PET. DIONIS. *L. c. L. I. Cap. II.*

lum in oculari fœmellæ fœtum occultantis examine valeat, fuſius ſupra (§. X. XI. XVII.) pertractavi, quare eadem hic recoquere nolo, ſed tertium in ſubſequenti paragrapho perluſtrabo puerperii ſtudium. (§. VIII.)

§. XIX.

At quod primarium prægreſſi partus indicium, a præſentibus in regione hypogaſtrica, inguinali, & utraque ſuperiori interiorique femorum parte occurrentibus ſtriis albicantibus meras cicatriculas referentibus deductum concernit, lubenter equidem fateor, illas non niſi immodicæ ortum debere abdominis diſtenſioni, ſed, cum ventrem ab innumeris quandoque intumeſcere poſſe morbis, uberrime (§. XIV.) demonſtraverim; quo minus itaque relaxato illo eædem perinde ac in ventre ob fœtus molem prius expanſo excitari poſſint cicatrices, nihil obſtat. Quemadmodum in illis, quas jam antea peperiſſe notum eſt, hocce ſignum admodum æquivocis pariter nititur rationibus, ſi quidem ſatis eſt ambiguum, utrum a priori an ab ultimo partu præſumpto albis his venter inſignitus ſit cicatriculis. Quale vero labiorum frenulum abruptum præbeat pro convincenda matre partum denegante argumentum, ſupra (§. XVII.) indicavi.

§. XX.

Hæc ſunt omnia, quæ de ſingulis circa diverſa puerperii tempora obvenientibus indiciis dici merentur, momenta. Quibus, ut putem, (§. X - XIX.) ſufficienter expoſitis atque penſitatis, ſolitaria eadem ſeparatim conſiderata multis ſane obnoxia eſſe fallaciis, neque quidquam exinde contra præſumptam puerperam omni exceptione majus proferri poſſe, luculenter patebit. Quare cunctis his præmiſſis omnia jam conjunctim comprehenſurus ſimul obvenientia partus ſigna (§. VI.) recenſita, eadem pariter dubiis niti poſſe rationibus demonſtrabo.

§. 21.



§. XXI.

Ponamus videlicet mulierculam, quæ graviſſimis (§. VI.) allegatis puerperii ſignis prædita actu deprehenditur. Tument nimirum mammæ lacte turgentes; ſanguinat matrix ad fluxum lochiorum inſtar; vagina ejusdem valde dilatata ſentitur; hypogaſtria flacceſcunt, rugentque; matricis oſculum ſentitur adapertum; pudenda intumeſcunt; furca evanuit; An idcirco ſecure concludendum erit: Quia omnia hæc cæteroquin puerperii ſigna ſimul coincidunt, ergo peperit matrona? formabo breviſſimis caſum: fœmella quædam poſt prægreſſam eamque diuturnam menſium emanſionem, juſtamque inſimul ventris tumefactionem, atque ſupervenientem denique mammarum duritiem & diſtenſionem tandem hæmorrhagia corripitur uterina, atque notabilem excernit concretionem molaticam, unde non modo os uteri valde adapertum, ſed vagina quoque ejusdem ob cauſas (§. XII. XIII.) allegatas prius forſitan dilatata magis extenſa fuit. Detumeſcente porro ob repentinam concretionis molaticæ evacuationem abdomine, ejusdem cutis non poteſt non flacceſcere; quemadmodum etiam pudendorum labia ob majorem humorum affluxum tumere videntur, atque furca prius ſatis relaxata majorem induit laxitatem. Quisquis itaque vel primo ſtatim intuitu, lubentiſſime fatebitur, inter verum falſumque hunc partum tantam eſſe connexionem, ut veritatem ex vera puerpera partum celante extorquere, admodum ſane ſit difficile.

§. XXII.

Dari vero perplexos hujusmodi caſus, nemo unquam negare conabitur, quippe quod repetitis exploratum habemus obſervationibus. Nam quemadmodum non mulieres modo maritatas, ſed & *viduas virginesque* (*a*) molaticas varias diſcre-

(*a*) Conf. MICH. ALBERTI *l. c. P. prior. Cap. V.* §. *VII. & not. a.* THEOPH. BONNET. *L. c. L. IV. S. X. obſ. III. IV.* THOM. BARTHOLIN. *Cent. I. obſerv. XCVII.*

discrepantis magnitudinis vel a corrupta conceptione, vel relictis post partum *secundinis aut earumdem frustulis*, (*b*) vel sanguine uterino aliave quacunque causa compositas in matrice gignere concretiones, aut uteri parietibus contiguas, aut pro temporis ratione diversæ pariter molis atque pluribus illi vel minoribus vasorum fibrillarumque tractibus adhærescentes, nulla indiget demonstratione; (*c*) Ita quoque illas citius aut tardius junctis insimul majoribus vel minoribus *veluti in naturali partu copiosis* (*d*) sanguinis uterini fluxibus expelli, gravissimorum virorum probatur exemplis. (*e*) Præcipue vero huc referri meretur *Casus XV. cum Respons Facult. Med. Hall. & Epicris. apud Mich. Alberti* (*f*) fusius descriptus, ubi mulier quædam ob varia indicia ibidem concurrentia in falsam cecidit puerperii suspicionem. Prægressa nimirum fuit insolens ventris inflatio, graviditatem mentiens, quæ tandem prorumpente repentino eoque satis vehementi sanguinis effluxu, grumarumque cruentarum atque concretionis molaticæ evacuatione plane evanuit. Deficiunt quidem in substrato casu quædam puerperii indicia, mammarum videlicet lacte turgidarum tumefactio, atque nimis ampla partium genitalium dilatatio. Quare etiam cæteris paribus præ-

C fata

(*b*) RUYSCH. *advers. anat. II.*
KERCKRING. *Spicileg. anatom.*

(*c*) Conf. LAURENT. HEISTER. *Instit. Chirurg. Cap. CLVI.*
MICH. ALBERTI *L. c.*
HERM. FRID. TEICHMEYER *L. c. Cap. XII.*

(*d*) Vid. THOM. BOURNET. *thesaur. med. pract. L. XI. Sect. XIX. subsect. III.*

(*e*) HERM. FRID. TEICHM. *l. c.*
RODERIC. à CASTRO *L. c. Cap. VII. de mola.*
LAURENT. HEISTER. *L. c.*
FRANCOIS MAURICEAU *l. c. Chap. VI.*
PETER DIONIS. *L. c. L. II. C. XV.*

(*f*) *L. c. part. post.*



fata facultas pleno jure mulierem ab omni mala liberare potuit ſuſpicione. Interdum quantum jam mammillas attinet, in hujuscemodi caſibus illæ lacte turgeſcere æque facile poſſunt, ac flacceſcere, ſiquidem ubi menſtrua diu retinentur, haud ita raro mammæ lacte replentur. Quod jam HIPPOCRATES notavit, dicens: *Si mulier neque prægnans neque puerpera lac habeat, huic ſuppreſſa ſunt menſtrua.* (g) Et AVICENNA repetiit, *Lac in mammis*, inquiens, *quandoque adgregatur absque prægnatione, & proprie, quando retinentur menſtrua.* (h) Junctis autem regulariter concremento matricis molatico catameniorum retentionibus, quid impedit, quo minus lac in mammis generari poſſit? (i) ROMBERTUS DODONÆUS refert, *ſe vidiſſe viduam, gravidam viſam, cui ſupervenientibus partus doloribus, non niſi aquoſos humores enixæ, & ab illis liberatæ, lacte ubera repleta haud aliter fuerunt, ac ſi fœtum peperiſſet.* (l) Ex altera vero parte mammarum flacciditas atque gracilitas minime ſemper de non prægreſſa graviditate atque puerperio teſtatur, ſiquidem egomet ipſe diverſa novi ſubjecta, ſiccioris tamen corporis conſtitutionis, quæ repetitis licet puerperiis præter naturalem mammillarum laxitatem vix unam alteramve lactis ſeroſi guttulam emulſerunt. Pari modo nimia genitalium amplitudo in hujusmodi caſibus nihil auget ſuſpicionis, ſiquidem pro ratione concrementorum has partes tranſeuntium mirum quantum quandoque reſpectu molis variantium ſtrictior latiorve paratur orificii uterini vaginæque hiatus, & niſi in ſubſtrato caſu illud vix palmæ longitudinem æquaſſet, unde genitalia vel minimam profecto

(g) *Lib. V. aphor. 39.*

(h) PETR. SALII *Diverſ. in Avicennam fen. XII. Tract. I. C. I.*

(i) Idem in eundem *L. III. fen. XXI. Tr. II. C. XIX.*
JOAN. COSTÆUS in eumdem *fen. XII. L. III. C. III.*
THOM. BOURNET. *L. c. Sect. XIX.*

(l) *Obſerv. med. CXLIX.*

profecto perpeſſa ſunt dilatationem, ſed tanti fuiſſet voluminis, quanti veluti varia deſcribuntur ab acutiſſimis hinc inde obſervatoribus, quid mirum dein, partes generationi dicatas eamdem, quam in naturali partu, perpeti expanſionem? Quippe quod eo certius eoque facilius juxta varias contingit obſervationes, quo majorem eædem olim expertæ ſunt ob partum aliasve cauſas (§. XI. XII.) diſtenſionem.

§. XXIII.

Ex prædictis itaque (§. XXII.) uberrime colligendum erit, multam veri falſique puerperii indiciis intereſſe analogiam, adeoque magnam inter utrumque committi poſſe fallaciam, præcipue niſi ſedulo & repetitis vicibus, quod tamen rariſſime fieri ſolet, ſuſpectæ indagatur venter. Cum deſuper pro temporis ratione valde differre prægreſſi puerperii ſigna, & eadem omnia (§. VI.) allegata nunquam eodem tempore atque ſimul concurrere, ſatis conſtet. Nam primo poſt partum momento orificium uteri deplanatum reperitur, atque apertum, lochia copioſe fluunt, ſumma adeſt ventris flacciditas, pudendorum dilatatio, & hoc eſt unicum illud punctum, ubi omnium certiſſime ob rationes (§. XV.) dictas de prægreſſo judicatur partu. Illico vero contrahitur matricis oſculum, acuminatur, priſtinamque ſenſim adquirit duritiem, neque tam copioſum continuatur, ut ab initio, lochiorum effluvium, atque ventris flacciditas ſenſim ſenſimque ut plurimum evaneſcit, quemadmodum ampliata matrix ejusque vagina juxta aſſiduorum Embryulcorum opiniones intra quatuor & viginti circiter horas in eundem fere, quem ante partum, redigitur ſtatum naturalem, & pudendorum intumeſcentia, ſi aliqua adfuit, cito diffunditur. Secundo demum poſt partum die, neque prius regulariter lac fundere incipiunt puerperæ, *dummodo illud*, teſtante RODERICO A CASTRO, *primis duobus diebus matris ipſius non ſit.* (a)

 Quod

(a) *L. c. P. I. L. IV. C. VIII.*



Quod quo copiosius erumpit, eo parcior sanguinis lochialis observatur profusio, (*b*) quæ sensim atque sensim circa nonum, decimum, decimum quartum &c. definit diem, nullum enim figi potest emansionis tempus, siquidem robustioribus, atque exercitio deditis non tam diu neque tam largiter, quam otiosis, succulentioribus, multumque sanguinis alentibus fluunt lochia. Quandoque plane deficere eadem, observatum habemus. (*c*) Terminantur tandem in fluxum leviorem, serosum, albicantem, (*d*) ad instar puris sani & cocti, qui magis magisque diminutus citius aut tardius plane cessat. Mammarum vero lacte turgidarum tumefactio, si lactatur infans, diu persistit, cum contra, si nihil unquam lactis emulgetur, ocyus aut serius sponte ut plurimum evanescit. En ergo genuinam omnium totius puerperii indiciorum invicem succedentium historiam, quæ satis luculenter edocet, quænam vel quot eorundem singulis post partum temporibus naturaliter coincidunt.

§. XXIV.

Quodsi (juxta §. XXI. XXII.) primaria partus prægressi atque maxime omnium conspicua indicia (§. VI.) adnotata tantis obnubilantur ambiguitatis nebulis, ut quam facillime maximus fallaciæ committi possit error, quid ergo certi atque indubitati ex signis puerperii in secundo stadio occurrentibus (§. VII.) eruendum erit? ubi nimirum præter levius quoddam sanguinis e matrice, sive non nisi materiæ albidæ stilli-

(*b*) Conf. *L'Anatomie d'Heister*, avec. des Essays de Physique sur l'usage des parties du corps humain *T. II. p. 30.*

(*c*) Vid. idem *T. I. p. 540.*

Ephemer. Germ. *Ann. I. obs. LXXII. Decur. III.*

THEOPH. BONNET. *L. c. L. IV. §. VIII. de puerperio. obs. I. & III.*

(*d*) Conf. PETER DIONIS. *L. c. L. III. C. IX.*

FRANC. MAURICEAU *L. c. L. III. C. IX.*

ſtillicidium, atque plus minus majorem pro temporis ratione mammillarum tumefactionem nihil quidquam partus ſuſpicionem parit. Partes enim generationi dicatæ brevi temporis ſpatio ita coarctantur iterum, ut ne unquam intelligi inde poſſit, utrum partus prægreſſus fuerit nec ne? HENRICUS DEVENTER (*a*) ſe diſſecuiſſe, refert, puerperam nono poſt partum die emortuam, cujus matricem ita reperit coarctatam, ut nullus unquam viſus fuerit partus prægreſſus. Cum vero mammarum tumor a præeunte diu menſtruorum retentione aliave cauſa æque facile ac a promiſſo puerperio oriri; parciſſima quoque ſanguinis profuſio cum leviori catameniorum fluxu hiſce diebus effuſo egregie confundi, atque exigua materiæ huic ſubſequentis albidæ, pus referentis emanatio ab alia quacunque cauſa (§. XI.) derivari poſſit, vix ac ne vix quidem puerperii celebrati veriſimilitudinem exinde derivari poſſe, ſatis ſuperque liquet. Quippe quod ſequentibus confirmat D. GIESLERUS: (*b*) Es iſt wohl nicht ohnmöglich, *inquit*, doch ſehr zweiffelhafftig, daß die, welche von einer Mannsperſohn *corrumpiret* iſt, auch von der ein *Abortus* oder andere *Maſſa carnea informis* gegangen, ſoll eigentlich zu unterſcheiden ſeyn von der, die ein vollſtändig Kind zur Welt gebracht. Dann die weibliche Geburtsglieder eben ſowohl in *abortu* als *vero partu* verändert werden. Und obwohlen *in perfecto partu* ſelbige Theile ſich mehr eröffnen und von einander geben, als ſonſten, ſo gehen doch ſolche ſo genau und hart wieder zuſammen, als ſie vor der Zeit geweſen.

§. XXV.

Fallaciſſima vero omnium ſunt partus olim celebrati ſigna, (§. VIII.) ſiquidem ſtriæ albæ hinc inde in abdominis & fe-

(*a*) Obſervations ſur le manuel des accouchemens.

(*b*) Im Gutachten über der Braunſchweigiſchen Baade-Mutter Atteſtat. p. 16. in Reſponſ. Syndic. Brunsv. contra Oldencop.



& femorum regionibus sese exserentes non nisi de magna abdominis expansione testantur, quæ vero præter foetus in matrice contenti molem varias adhuc agnoscit causas (§. XIV. XIX.) recensitas, unde easdem pariter exoriri posse cicatriculas, repetitis compertum est observationibus. Furca vero labiorum amissa ab externis quoque aboleri potest qualibuscunque causis. (§. XVII. Quare PAULUS AMMANNUS (*a*) disertis asseruit verbis, *signa puerperii recentis in partibus genitalibus intra terminum puerperii, scilicet intra sex septimanas, evanescere iterum, adeo ut nihil de puerperio facto post annum elapsum videri queat.* Quod inter recentiores sequentibus affirmat JO. ERN. HEBENSTREIT: *Postquam ergo*, inquit, *suo levatus onere uterus est, ad pristinam, qua ante impraegnationem usus est, cavitatis suæ angustiam subito revertitur, ut signa partus celebrati, aliquo post tempore, deleantur.*

§. XXVI.

Hæc sunt, quæ pro temporis institutique ratione de signis differere volui & potui puerperii fallacibus. Quibus, ut putem, luculenter investigatis, gravis omnino movenda erit, an tam arduum inspiciendi puerperæ suspectæ ventris negotium solis committi possit obstetricibus. Quamvis autem ex Jureconsultorum ordine varii sint Auctores, summopere contra obstetricum fidem disputantes, quorum præcipui sunt: BLUMLACHERUS, atque CYPRIANUS, inter Medicos vero præsertim JO. BOHNIUS (*c*) THOM. REINESIUS, (*d*) PAUL. AMMANN. (*e*) HERM. FRID. TEICHMEYER, (*f*) multique

(*a*) Irenic. Num. Pompil. c. Hipp. qu. utrum de imprægnatione præterita aliquid certi referri queat? *p. 110.*

(*c*) *De officio Medici.*

(*d*) *Libr. cit. L. III. C. I.*

(*e*) *L. c.* Qu. obstetrix, poteftne de rebus mulieribus testari?

(*f*) *L. c. C. IV. de virginitate. Qu. IV.*

multique alii de craſſa earum inſcitia conquerantur, *quas* ideoque *ſolas de re medica vel muliebri teſtari poſſe*. plane negat præfatus AMMANN, (*g*) ſiquidem *nihil amplius ſciunt, quam puerum naſcentem gremio recipere, umbilicum reſcindere, obligare, in balneo a ſordibus abſtergere, ac faſciis tandem involvere*; (*h*) attamen, licet equidem enormem plurimarum in noſtris præcipue regionibus obſtetricum ignorantiam non denegare velim, prudentes, bonæque fidei, atque in arte peritiſſimæ & exercitatiſſimæ excipiendæ omnino ſunt. Sed cum rariſſimæ eædem ſint, quarum peritia eouſque ſe extendit, ut de abſtruſis hujusmodi & lubricis caſibus certiſſimum ferre poſſint judicium, Medicum omnino ſive Chirurgum omnino in anatomia pariter & arte obſtetricia expertiſſimum ſemper obſtetricibus adjungendum eſſe, tutius erit atque conſultius.

TANTUM.

(*g*) *L. cit. p. 104.*
(*h*) TEICHM. *L. c.*

